PROSPERI TATII AD FELICISS. SERENISS. ETRURIÆ PRINCIPUM...

Prospero Tatti

XXVII.
TTT
1600.

PROSPERI TATII
AD
FELICISS. SERENISS.
ETRVRIÆ PRINCIPVM
Nuptias.

HYMENAEVS.
AD ILLVSTRISS. MATTHÆVM BOTTIVM
Campilliæ Marchionem Equitem S. Steph. & S. M. D.
Basilicæ Præfectum primarium.



FLORENTIÆ.

Apud Christophorum Marescotum 1608.

Superiorum concessione.

HYMENÆVS.

MIRA ne Maiestas gentis, Venerisq; iuuenta
Munera detrectant, horrentq; iugalia iura?
Quis nouus hîc sensùs regalia pectora turbat?
Quæ ratio? quæ relligio? pudor æstuat vnde?
Magdalena exulta, Austriadum pulcherrima lampas,
Cosme decus Medicûm, Latij iubar euge triumpha,
Vos neque iam nexu pigeat dare colla iugali.
Cunctorum Natura dedit studiosa magistra,
Vnde genus vitam valeat, corpusq; tueri.
Pabula nec solum instruxit, sed cornua curua
Taurinum pecus, & celeres vestigia ceruos
Seruare iniunxit, & aucis è turribus alas.
Mergit anas se se, emergit quoque fluctibus altis,
Vespa, & apes, quæ læsa venit, sua spicula promit;
Alma parens, sæclis quò semina tanta perennent,
Iussit, vt omne simul studio nec fragret inani
Gignendi, simileisq; sibi producere fœtus,
Seu cœlum sublime, ac tellus, siue æquora gignant:
Quæritat hinc sociam turtur, comitemq; columbæ
Asciscunt, rostra & cupiunt subnectere rostris.
Idem equus exoptat, fert hæc quoque foedera pardus,
Vis eadem saxis hæret, nec parcit amori
Planta suo, amplexusq; petit verbena virileis,
Ac se commiscent ingentes vitibus vlmi.
Piscibus ardor inest idem, nat Delphin in vndis
Delphino coniunctus, Amor commercia curat.

Hinc

Hinc proles hominis, sacra hinc connubia passim,
Quæ legem fecere sacram, quam regna sequuntur,
Quæq; domos auget, nomenq; æternat, & vrbeis.
Huic iam Semidei, Terras ditione tenentes,
Gestarum ac rerum complentes nomine cælum,
Assensere, Ioui assensit Saturnia Iuno.
Hanc vos spernetis, quam nec spreuere parentes.
Quando eritis patres, foecundaq; semina Regum?
Ast Matris tantæ Genitor memorabile Numen
Sidereo è solio, vasta quæ mente recondit,
Hæc fieri iussit, tantoq; hoc ordine gaudet.
Hosq; graueis nexus, curet cùm regia, mandat;
Austria cum Medicis æternùm, ac regna coruscent,
Diuinis orbem moderentur legibus ambo.
Huc ego festino, summoq; huc deferor axe,
Aurora & gressus Phoebæa lampade surgens,
Pulcrior ac nunquam terris oblata, regebat.
Ac me Cælestes, & quot Dea magna Cybelle
Imperio premit, insigni comitantur honore.
Accensas tædas, ac vincula ducimus alma,
Vt vos coniungam, tantisq; amplexibus adsint.
Syrenes Pindi cytharas aptate sonoras,
Connubia ac Regum ex merito celebrate canentes.
Vestraq; nobiscum lætentur plectra Camoenæ,
Maxima ceu mos est æterno indicere cantu,
Atq; eritis fidæ tam claro in foedere testes.
Talia nec vidit connubia Cynthius ante,
Adspirant Charites, arridet Risus, Amorque,

Atq;

Atq; pharetratus quærit duo pectora in vnum
Cogere, & ex humeris librat puer aurea tela.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ.
Arrident pariles anni, studet omnis, & AEther,
Annus, & alma Ceres, ac pleno Copia cornu
Concertant paribus studijs, animoq; sereno
Huc adsunt, longa atq; ægris huc ocia ducunt.
Bacchus & ipse pater latè rubra tempora iactat,
Quà plaudent acini, ac dulci vindemia musto.
Verq; vices iterat, fundit sua munera Tellus,
Autumnus gliscens iam mitia poma retractat.
Pòst mitescet hyems, fiet placabilis æstas,
Insurget tandem rerum mirabilis ordo.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ,
En Eurusq;, Nothusq; fauent, sæuire negantq;
Deponit rabiem Boreas, Austro omnia surgunt.
Auster cum Zephyris iungens noua foedera nescit
Floriferæ Diuæ requiem turbare, nec vsquam
Sollicitos sinit ire dies, nec pectora vexat,
Quin Dea læta manet, quæ Thuscis imperat altis,
Progeniem Augustam Augusto è germine sponso,
(Nec frustra augurium) geminus cui seruiat orbis.
Arnus & incedit grauibus pulcherrimus vndis,
Dum claras ostentat opes de pontibus amplis,
Ac ciet illustri colludere classe iuuentam,
Austriacis & adhuc lætus spes concipit altas.
Huc Hymenæus adest, Venus hîc, & pronuba Iuno
Inflammans sacras tædas hæc vincula curat.
Astræa atq; hæc vna fouet, quæ lapsa sereno

Vos

Vos Cælo ornauit sceptro, Thuscaq; corona.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ.
Huc Europæi proceres, noua lumina Mundi,
Aduentant læti, vinclis tantisq; fauentes.
Hadria se exultans huc fert, Lyguresq; superbi,
Pulcraq; Parthenope, nec non Insubria Rege
Clara olim accurrit, propensaq; pectora pandit.
Huc sacra concurrit Romana è sede caterua,
Cui caput ad Fidei augmentum sacra purpura cingit,
Miratura Astrum, celso quod fulget ab Austro,
Et quo nil melius cælesti ex ordine splendet,
Portendens (fælix Astrum) noua gaudia Thuscis.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ
Fælici hoc tanto nexu iam gaudet Iberus,
Ac Betis insignis regali ornatus honore,
Inclyta cum Thuscis Germania tota triumphat,
Quam Iouis ad cælsum toties fert ales Olympum,
Gallia lætatur consanguinitate propinqua,
Lætatur Garamas, imus lætatur & Indus.
Nec sinus Oceanum cingit, quin æquora vbique
Læta paret, hilaret quot littora lambit Hydaspes,
Aut quò Romulidis se protulit vltima Thule.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ.
O ter felices, quos integra copula nectit,
Quos nec soluet amor, ni lux suprema recidat.
O quos vos memorent gentes? Dignissime Cosme,
Alter & Alcides? Virgo sata sanguine Diuûm,
Austriacum sydus, veræ virtutis imago?
Vos iam sceptra decent genitos ad regna, decusq;,
Vos

Vos iam Relligio, karitas vos almi coronant,
Pacis & accingunt gemmata monilia pectus,
Quæ charos populos æterno foedere iungunt,
Ac vincunt ostrum, atq; aurum, nitidosq; lapillos,
Et precio vincunt, & pulcritudine vincunt.
Vos regum affinis series numerosa potentum
Adiuuat exemplo, leges, sancitaq; iura,
Queìs Mare, queìs Terra, ac totus se continet orbis.
Jam spectare licet, quos Austria iactat Heroas,
Imperio Heroas dignos, titulisq; superbis,
Cui paret Mundus, conuexaq; sidera parent.
Mediceos spectate viros, belloq;, togaq;
Insigneis, ostro insigneis, Petriq; tyara.
Succurrat vobis præstans Lotharingia, cuius
Fama volans altis dudum se terminat astris.
Iam Magni Bauarùm, Fidei munimina Sanctæ,
Occurrant iuncti materno sanguine Reges.
Hinc opus est, meritos omnes mirentur honores,
Vosq; locent Cælo, ac sanctum ceu sidus adorent.
Ecquis non optet uobis modò Nestoris annos,
Ac lætos soles, lætos thalamosq; thorosque?
Numina (quod cuncti blanda modo uoce precamur)
Tergemina, ac digna facient uos prole parentes,
Terrorem atque una incutiet quà Thurca superbit,
Barbariem atq; armis tantam contundet auitis,
Augescetq; Fidem, tuti qua iungimur astris.
Dum noua consurgent Ferdnandi nomina Magni,
Dum Karoli. & Cosmi uolitabit fama recentis.
Annuite ò Sponsi, auratæ indulgete pharetræ;

Annuite

Annuite, auspicijs his vincula sacra subite.
Coniugio tali quæ surgere regna videbo?
Magnaq; se quantis Thuscorum gloria tollet?
Felices Thusci, quibus hos contingit habere
Tam grandes Reges, magna & pietate uerendos.
Spargite Tellurem uarijs iam floribus omnes,
Insternant ædeis opobalsama, cynama odores
Undiq; perfundant, uacinia compita tergant,
Ornent atq; rosæ thalamos Gnidiq;, Paphiq;.
Alter Athlas regno, iungetur & altera Pallas.
Immortale decus partum iam sidera curret,
Non secus àc Phoebus linquens iuga matutina.
Ter fortunati ò Sponsi, spes altera Thuscis,
Aurea tecta patent, uestra est, intrate libentes,
Iungite labra labris, ualidam exercete iuuentam.
Quid differre iuuat? mora quæ fert commoda nuptis?
Dum licet, atq; ætas patitur, dum Vesper Olympo
Surgit, & insternit sanctum Cytherea cubile.
Candida pax ambos Pyliis vos stringat in annis,
Ac simileis natos, ac præmia noscite Amoris.
Viuite felices, iterum fælicia cuncta
Promittit Cælum, effulgent quot lumina ab Austro,
Quotquot ab Eoo, spondent, Septemq; Trione.
Iam magnæ sobolis Magnos gaudere parentes
Cernitis his uinclis, his successoribus almis
Virtutis, clari ac generis sperare Nepotes,
Augusto lætum decorantes sidere Cælum.

Deo, ac Deiparæ laus, & Gloria. Finis.